UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

5 Vtrum amor conuenienter diuidatur in amorem amicitiæ, & amorem concupiescentię.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72759

Visual Library

F Ad secundvm dicēdum, quòd obiectum amoris eſt communius quàm obiectum dilectionis, quia ad plura ſe extendit amor quàm dilectio, ſicut * dictum eſt.

In corp. ar.

Ad iii. dicendum, quòd non differunt amor, & dilectio ſecundum differentiam boni, & mali, ſed ſicut * dictum eſt, in parte tamen intellectina, idem eſt amor & dilectio: & ſic loquitur ibi * Aug. de amore: unde parum poſt ſubdit, quòd recta uoluntas eſt amor bonus, & quòd peruerſa uoluntas eſt malus amor: quia tñ amor, qui eſt paſſio concupiſcibilis, plurimos inclinat ad malum, inde habuerunt occaſionem, qui prædictam differentiam aſſignauerunt.

In corp. ar. c. 7. & 9. li. 14. de ciuit. Dei to. 5.

Ad iiii. dicendum, quòd iō aliqui poſuerunt ēt in ipſa uoluntate, nomen amoris eſſe diuinius nomine dilectionis, quia amor importat quandam paſ- G ſionem, præcipuè ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitiuo: dilectio autem præſupponit iudicium rationis: magis autem in Deum homo poteſt tendere per amorem paſſiuè quodammodo ab ipſo Deo attractus, quàm ad hoc eum propria ratio poſſit ducere, quod pertinet ad rationem dilectionis, ut * dictum eſt: & propter hoc, diuinius eſt amor quàm dilectio.

In corp. art.

¶ *Super quaeſt. uigeſimaſextæ Articulum quartum.*

In quæſtione uigeſimaſexta, omiſſis primis tribus articulis, in quarto hoc ſolum aduerte, quòd diſtinctio amoris in amorem amicitiæ & concupiſcentiæ non eſt tam diuiſio amoris, quàm amatorum: ſeu, & in idem redit, non eſt diuiſio amoris ſecundum ſe, ſed ſecundum diuerſimode amata. Cùm enim omne concupitum alicui concupiſcatur, nullus amor concupiſcentiæ eſt ſine amore amicitiæ illius cui concupiſcitur. Et rurſus, cùm omni amico aliquod bonum velimus, nullus amor amicitię eſt ſine amore concupiſcentię boni concupiti amato. Non ergo diſtinguitur amor in amorem amicitiæ & concupiſcentiæ, tamquam in diuerſos amores, ſed tanquam in diuerſos modos amandi. Vnus enim & idem amor eſt amicitiæ reſpectu amici, & cōcupiſcentie reſpectu boni illi uoliti. Et ſi quandoque inuenias diuerſos eſſe amores, ſane interpretare. & denominari amoré quandoque a concupiſcentia, quādoque ab amicitia ſcito, propter obiectū de quo eſt ſermo, ut patet cū ē ſermo de amore ad irrationalia, uel

1. q. 60. ar. 3. co. & art. 3. ad 3. & ma. q. 1. ar. 5. co. & ueri. q. 4. ar. 3. & Dio. 4. li. 9. & 10. & Io. 15. le. 4.
*c. r. a med. to. 5.
8. Eth. ca. 3. to. 5.
c. 2. parum añ me. to. 1.
*c. 11. a me. il ius to. 5.
c. 4. in prin. to. 6.

Articvlvs IIII.

Vtrum amor conuenienter diuidatur in amorem amicitiæ, & amorem concupiſcentiæ.

Ad qvartvm ſic procedit. Videtur ꝙ amor inconueniēter diuidatur in amorem amicitiæ & concupiſcentiæ. Amor. n. eſt paſſio, amicitia uerò eſt habitus, ut dicit Phil. in 8. Ethicorum: ſed habitus non poteſt eſſe pars diuiſiua paſſionis. ergo amor nō conuenienter diuiditur ꝑ amorē cōcupiſcētiæ, & amorē amicitiæ.

¶ 2 Præt. Nihil diuiditur per id, quod ei cōnumeratur. Non enim homo connumeratur animali, ſed concupiſcentia connumerat̄ amori, ſicut alia paſſio ab amore. ergo amor non poteſt diuidi per concupiſcentiam.

¶ 3 Præt. Secundum Philoſoph. in 8. † Eth. triplex eſt amicitia, utilis, delectabilis, & honeſta, ſed amicitia utilis, & delectabilis hēt concupiſcentiam. ergo cōcupiſcētia non dēt diuidi cōtra amicitiā.

Sed contra, Quædam dicimur amare, quia ea concupiſcimus, ſicut dr̄ aliquis amare uinū propter dulce, quod in eo concupiſcit, ut dicitur in 2. * Topico. ſed ad uinum, & ad huiuſmodi non habemus amicitiam, ut dicitur in 8. * Ethicorum; ergo alius eſt amor concupiſcentiæ, & alius eſt amor amicitię.

Respon. Dicendum, quòd ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhetor. Amare eſt uelle alicui bonū. Sic ergo motus amoris in duo tendit. ſ. in bonum quod quis uult alicui, uel ſibi, uel alii, & ī illud, cui uult bonum. Ad illud ergo bonū qđ quis uult alteri, habetur amor cō cupiſcentiæ; ad illud autem, cui aliquis uult bonū, habetur amor amicitiæ; hęc autem diuiſio eſt ſecundum prius & poſterius. Nā id quod amatur amore amicitię, ſimpliciter & per ſe amatur: qđ autem amatur amore cōcupiſcētię, non ſimpliciter & ſecundum ſe amatur, ſed amatur alteri. Sicut enim ens per ſe ſimpliciter eſt, quod habet eſſe; ens autem ſecundum quid, quod eſt in alio; ita & bonū, quod conuertitur cum ente, ſimpliciter quidem eſt quod ipſam habet bonitatem. Quod autem eſt bonum alterius, eſt bonum ſecundum quid, & per cōſequens amor, quo amatur aliquid ut ei ſit bonum, eſt amor ſimpliciter; amor autem, quo amatur aliqđ ut ſit bonum alterius, eſt amor ſecundum quid.

delectabilia, uel utilia: in his enim a concupiſcentia amor denominatur, qui tamen nō eſt ſine amore amicitię ad ſe, uel alium. Cùm uerò de amore parētum, aut filiorum, ab amicitia denominatio fit amoris, qui tñ eis concupiſcit bonum uitæ, &c.

Ad primvm ergo dicendum, quòd amor non diuiditur per amicitiam, & concupiſcētiam, ſed per amorem amicitiæ & concupiſcentiæ. Nam ille proprie dicitur amicus, cui aliquod bonum uolumus; illud autem dicimur concupiſcere, quod uolumus nobis. & per hoc patet ſolutio ad ſecundum.

Ad tertivm dicendum, ꝙ in amicitia, utilis & delectabilis, uult quidem aliquis aliquod bonum amico, & quantum ad hoc ſaluatur ibi ratio amici-
H tiæ, ſed quia illud bonum refert ulterius ad ſuam delectationem, & utilitatem; inde eſt, quòd amicitia utilis & delectabilis, inquantum trahitur ad amorem concupiſcentiæ, deficit a ratione ueræ amicitiæ.

Qvaestio XXVII.

De cauſa amoris, in quatuor articulos diuiſa.

I Deinde conſiderandum eſt de cauſa amoris.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, Vtrum bonum ſit ſola cauſa amoris.

¶ Secundò, Vtrum cognitio ſit cauſa amoris.

¶ Tertiò, Vtrum ſimilitudo.

¶ Quartò, Vtrum aliqua alia animæ paſſionum.

Articvlvs primvs.

Vtrum bonum ſit ſola cauſa amoris.

K Ad primvm ſic proceditur. Videtur, quòd non ſolum bonum ſit cauſa amoris. Bonum enim non eſt cauſa amoris, niſi qui amatur, ſed contingit etiam malum amari, ſecundum illud Pſalm. decimo. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; alioquin omnis amor eſſet bonus. ergo non ſolum bonum eſt cauſa amoris.

¶ *Super quæſtionis uigeſimęſeptimæ articulum primum.*

In corpore primi articuli quæſtionis uigeſimæ ſeptimæ notato, ꝙ ratiō conſiſtit in hoc. Bonum eſt proprium obiectum amoris: ergo eſt propria cauſa amoris. & probatur ſequela: quia obiectum potentiæ paſſiuæ comparatur ad ipſam, ut cauſa motus uel actus ipſius: ac per hoc obiectum proprium talis actus huiuſmodi potētiæ, eſt propria cauſa illius actus: amor aūt eſt actus potentiæ appetitiuæ, quę eſt paſſiua. Ex his habes de mente diui Thomæ quatuor, ſcilicet ꝙ uis appetitiua eſt paſſiua: & quòd obiectum eius eſt cauſa actiua: & quòd bonum effectiue cauſat amorem: & quòd uniuerſaliter, obiectum proprium cuiuſque actus, appetitus eſt cauſa actiua illius: quæ multū me-

Inf. q. [illegible] 1. & Di[illegible] li. 12.